

mi, celebrémus, ejus Filium Ecclesiæ Sponsum immaculatum adorantes: cui honor, et glória in sæcula sæculorum. Amen.

**R.** Elégi. 9\*

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

**Lectio vij.** **Cap. j.**  
**I**n illo tempore: Exsurgens Maria, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et intravit in domum Zachariæ et salutavit Elisabeth. Et reliqua.

De Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

**Ex Comment. in Luc.**  
 lib. i. cap. iij.

**E**rum audiâmus verba quæ Virgo dixit, si forte ex his valeâmus aliquantum dignoscere, quid intus habuerit. Audita ergo responsione Elisabeth, quæ eam beatam inter mulieres prædicavit, Matrem Dómini sui cognominavit, fide fortem laudavit, ad cujus ingressum se ipsam cum filio Spiritu sancto replétam esse signavit; non amplius tacere potuit dona quæ perciperat, sed quæ semper animo gerébat, ubi aptum tempus invenit, etiam de-

vóta oris professione patefecit.

**R.** Felix. 9\*

**Lectio viij.**

**N**amque, ut virginalem decébat pudorem, acceptum divinitus oraculum aliquamdiu silentio tegébat; arcánium mystérii cœlestis in sui pectoris abdito venerabatur occultum; expectabat reverenter, donec ipse donorum distributor, quid sibi doni specialis tribuisset, quid secreti revelasset, quodcumque vellet, osténderet. At postquam eadem quæ sibi erant charismata præstita, per alios, Spiritu revelante esse patefacta cernébat, mox ipsa etiam thesaurum cœli, quem in corde servabat, aperuit. Ait ergo: Magnificat ánima mea Dóminum: et exsultavit spiritus meus in Deo salutári meo.

**R.** Beátam. 10\*

**Lectio ix.**

**Q**uibus profecto verbis primo dona sibi specialiter concessa confitentur: deinde generalia Dei beneficia, quibus generi humano in ætérnum consulerent non desistit, enumerat: quæ cum omnibus perfectis verba re-

DOM. III. POST EPIPH.  
 B. Mariæ V.  
 de Bethlehem.

Dummodò illa non incidat in Domin. Sept. vel Sexag.

**Duplex majus.**

IN I. VESPERIS.

**Añæ. 1.** Ascendit Joseph a Galilæa, de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, ut profiteretur cum Maria.

**Ps. ut in Festis B. M. V.**  
 2. Compléti sunt dies Mariæ, ut pareret Filium suum primogénitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio.

3. Transeâmus usque Bethlehem, et videâmus hoc verbum, quod factum est, quod Dóminus ostendit nobis.

4. Et venerunt festinantes: et invenérunt Mariam, et infántem positum in præsepio.

5. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

**Capitulum. Eccl. xxiv.**

**G**O quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus hono-

cte conveniant, máxime tamen ea beatam Dei Genitricem proferre decébat, quæ mériti privilegio singularis spiritu aliipsius dilectione flagrabat, cujus corporali conceptione gaudébat. Quæ sequentibus quoque verbis, quam vilia de se ipsa senserit, docet, et quod omne quid boni mériti habuit, hoc supérna grátia largiente percéperit, dicens: Quia respéxit humilitatem ancillæ suæ.

Te Deum laudâmus.

DIE XXXI. DECEMB.  
 S. Hilarie

Martyris,

cujus corpus asservatur in metropolit. Eccl. Mexic.  
 Duplex.

**Omnia de Comm. Mart. non Virg., ordine sequ.**

**Oratio.** Deus, qui inter cetera.

**Inj. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.**

**In ij. Nocturno, Lect. Ego máxime. de Comm. ij. loco.**

**In iij. Nocturno, Homilia in Evang. Simile est regnum cœlorum thesaurorum. de Comuni.**

**Commemorationes Octavarum in Laudibus.**

ris, et honestatis. Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.

**Hymn.** Ave-maris.

**V.** Post partum, Virgo, inviolata permansisti.

**R.** Dei Genitrix, intercede pro nobis.

**Ad Magnif. Añã.** O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est: et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam deitatem.

**Oratio.**

**D**eus, qui pro nobis ex intacto beatæ Mariæ Virginis útero Bethlehem nasci voluisti: tribue, quæsumus; ut ad percipiendum reparationis nostræ fructum Genitricis tuæ méritis ac precibus adjuvémur. Qui vivis.

**Commém. Dominicæ.**

**Ad Complet. et alias Horas in fine Hymnorum dicitur:**

Jesu, tibi sit glória,  
Qui natus es de Virgine.

**AD MATUTINUM.**

**Invit.** Sancta Maria, Dei Genitrix, Virgo, \* Intercede pro nobis.

**Ps.** Venite, exultemus.

**Hymnus.** Quem terra.

**In I. Nocturno.**

**Añã.** Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

**Psalmi trium Nocturnorum ut in Festis B. M. V.**

**Añã.** Sicut myrrha electa odorem dedisti suavitatis, sancta Dei Genitrix.

**Añã.** Benedicta, filia, tu a Domino: quia per te fructum vitæ communicavimus.

**V.** Spécie tua, et pulchritudine tua. **R.** Intende, prospere procede, et regna.

**De Canticis Canticorum.**

**Lectio j. Cap. ij.**

**S**GO flos campi, et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi; et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. En dilectus meus loquitur mihi: Surge,

propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra; ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum.

**R.** O magnum mysterium, et admirabile sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum, jacentem in praesepio! \* Beata Virgo, cujus viscera meruerunt portare Dominum Christum.

**V.** Ave Maria gratia plena, Dominus tecum. — Beata.

**Lectio ij.**

**S**urge, amica mea, speciosa mea, et veni, columba mea, in foraminibus petrae, in caverna maceriae: ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit. Dillectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. Re-

vertere, similis esto, dilecte mi, capreae, hinnuloque cervorum super montes Bether. Adjuro vos, filiae Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitatis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris, et universi pulveris pigmentarii?

**R.** Confirmatum est cor Virginis in quo divina mysteria, Angelo nuntiante, concepit; tunc speciosum forma præ filiis hominum castis suscepit visceribus: \* Et benedicta in æternum, Deum nobis protulit, et hominem. **V.** Domus pudici pectoris templum repente fit Dei: intacta nesciens virum, verbo concepit filium. — Et.

**Lectio iij.**

**I**N lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferulum fecit sibi rex Salomon de lignis

Líbani : colúmnas ejus fecit argénteas, reclinatorium aureum, ascensum purpúreum; média caritáte constrávit propter filias Jerúsalem. Egredimini, et vidéte, filiæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quocoronávit illum mater sua in die desponsatiónis illius, et in die lætitiæ cordis ejus. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum, absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Gálaad. Duo úbera tua, sicut duo hinnuli capræ gemelli, qui pascuntur in liliis.

**R.** Benedícta, et venerábilis es, Virgo María, quæ sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris : \* Jacébat in præsépio, et fulgébat in celo. **V.** Dómine, audívi auditum tuum, et tímui; considerávi ópera tua, et expávi, in médio duórum animálium. — Jacébat in præsépio. **Gloria Patri.** Jacébat.

In II. Nocturno.

**Aña.** Speciósá facta es, et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

**Aña.** Pulchrióra sunt úbera tua vino, et odor vestimentórum tuórum super ómnia aromata.

**Aña.** Sicut lætántium ómnium nostrum habitátió est in te, sancta Dei Génitrix.

**V.** Adjuvábít eam Deus vultu suo. **R.** Deus in médio ejus, non commovébitur.

Sermo S. Leónis Papæ.  
Serm. j. de Nativ. Dom.

**Lectio ib.**



Irgo régia Davidicæ stúrpis eligitur, quæ sacro gravidánda foetu, divinam humanámque prolem prius conciperet mente quam corpore : et ne supérni ignára consilii ad inusitátospavéret affátus, quod in ea operándum erat a Spíritu sancto, colloquio discit angélico, nec damnum credit pudóris Dei Génitrix mox futúra. Cur enim de conceptionis novitáte despéret, cui efficiéntia de Altíssimi virtúte promittitur? Confirmátur credéntis fides étiam præeúntis attestatióne miráculi, donatúrque Elisabéth inopináta fœcúnditas, ut qui conceptum déderat stérili, datúrus non dubitarétur

et Virgini. Verbum igitur Dei, Dei Filius, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt ómnia, et sine quo factum est nihil, propter liberándum ab ætérna morte hóminem factus est homo.

**R.** Beáta viscera Mariæ Virginis. quæportavérunt ætérni Patris Filium : et beáta úbera, quæ lactavérunt Christum Dóminum; \* Qui pro salúte mundi de Virgine nasci dignátus est. **V.** Dies sanctificátus illúxit nobis : veníte gentes, et adoráte Dóminum. — Qui.

**Lectio v.**

Serm. ij. de Nativ. Dñi.

**A**dveniéntibus ergo tempóribus, dilectíssimi, quæ redemptioni hóminum fúerant præstitúta, ingréditur hæc ínfima Jesus Christus Dóminus noster de cœlesti sede descéndens, et a pátérna glória non recédens, novo órdine, nova nativitate generátus. Novo órdine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris; incomprehensibilis, voluit comprehénderi, ante témpora manens esse cœpit ex témpore : universitátis Dóminus

servilem formam obumbráta majestátis dignitate suscepit; impassibilis Deus non dedignátus est homo esse passibilis, et immortalis mortis légibus subjacére. Nova autem nativitate génitus est, conceptus a virgine, natus ex virgine, sine pátérnæ carnis concupiscéntia, sine matérnæ integritátis injúria : quia futurum hóminum Salvátorem talis ortus decébat, qui et in se habéret humanæ substántiæ natúrám, et humanæ carnis inquinaménta nescíret. Auctor enim in carne nascéntis Deus est, testánte Archángelo ad beatam Mariam Virginem : Quia Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi : ideóque quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Filius Dei.

**R.** Nesciens Mater Virgo virum, péperit sine dolóre, \* Salvátorem sæculórum, ipsum Regem Angelórum sola Virgo lactabat úbere de celo pleno. **V.** Domus pudici pectoris templum repénte fit Dei : intácta nesciens virum, verbo concépit Filium. — Salvátorem.

**Lectio vij.**

**O**Rigo dissimilis, sed natura consimilis: humano usu et consuetudine, quod credimus, caret; sed divina potestate subnixum est, quod virgo conceperit, quod virgo pepererit, et virgo permanserit. Non hic cogitur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est, ut volebat et poterat. Si veritatem quæris humanæ naturæ, cognosce materiam: si rationem scrutaris originis, virtutem confitere divinam. Venit enim Dominus Jesus Christus contagia nostra auferre, non perpeti; nec succumbere vitiiis, sed mederi. Venit, ut omnem languorem corruptionis, et universa vulnera sordentium curaret animarum: propter quod oportuit, ut novo nasceretur ordine, qui novam impollutæ sinceritatis gratiam humanis corporibus infereret. Oportuit enim, ut primam Genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris, et sanctitatis hospitium divini Spiritus virtus infusa

servaret, quæ statuerat dejecta erigere, confracta solidare, et superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiam donare virtutem: ut virginitas, quæ in aliis non poterat salva esse generando, fieret in aliis imitabilis et confitendo, et renascendo.

**R.** Beatissima Virgo Maria, hortus conclusus, fons signatus, Regina Angelorum, Domina mundi, \* Per quam Deus descendit in terras, ut homines ascendere mererentur ad coelos. **V.** Ad te clamamus, exsules filii Evæ: recordare nostri, sanctissima Virgo. — Per. **Gloria Patri.** Per.

**In III. Nocturno.**

**Añã.** Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.

**Añã.** Pulchra es et decora, filia Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.

**Añã.** Post partum, Virgo, inviolata permansisti: Dei Genitrix, intercede pro nobis.

**V.** Elegit eam Deus et præelegit eam. **R.** In tabernaculo suo habitare facit eam.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

**Lectio vij. Cap. ij.**

**I**n illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósii Episcopi.

**Lib. 2. in cap. ij. Luc.**

**I**des festinare pastores. Nemo enim cum desidia Christum requirit. Vides pastores Angelo credidisse: et tu Patri, Filio et Spiritui sancto, Angelis, Prophetis et Apostolis credere non vis? Vide quam signanter Scriptura singulorum libret momenta verborum. Festinant, inquit, Verbum videre. Etenim cum caro Domini videtur, Verbum videtur quod est Filius.

**R.** Benedicta, filia, tu a Domino, quia per te fructus vitæ communicavimus: \* Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo. **V.** Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis libera nos, sancta Dei Genitrix. — Sola.

**Lectio viij.**

**N**on mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, non vilis persona pastorum. Certe quovilior ad prudentiam, eo pretiosior ad fidem. Non gymnasia choris referta sapientum, sed plebem Dominus simplicem requisivit, quæ phalaræ audita et fucare nesciret. Simplicitas enim quaeritur, non ambitio desideratur. ¶ Nec contemnenda putes quasi vilia verba pastorum. A pastoribus enim Maria fidem colligit. A pastoribus potius ad Dei reverentiam congregatur. Mirati etiam sunt, omnes qui audierunt, de iis quæ dicebantur a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Discamus sanctæ Virginis in omnibus castitatem, quæ non minus ore pudica quam corpore, argumenta fidei conferbat in corde.

**R.** Beata es, Maria Dei Genitrix, patrona et auxiliatrix nostra et omni laude dignissima, \* Ex qua ortus est sol justitiæ Christus Deus noster, per quem salvati et redempti

sumus. **V.** Ipsa est stella ex Jacob, cujus rādus univērsū orbem illūminat. — Ex. Glória. Ex. **Lectio ix. de Dominica.**

**AD LAUDES**  
et per Horas, **Añæ.**

1. Beāta es, \* Virgo Mariā, Dei Génitrix, quæ credidisti Dómino : perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi.

**Ps.** Dóminus regnāvit. cum reliquis.

2. Beāta viscera Mariæ \* Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium, et beāta úbera, quæ lactaverunt Christum Dñum.

3. Rubum, quem viderrat \* Móyses incumbūstum, conservātam agnōvimus tuam laudābilem virginitatem : Dei Génitrix intercède pro nobis.

4. Germināvit radix Jesse, \* orta est stella ex Jacob, Virgo péperit Salvatorem : te laudāmus, Deus noster.

5. Ecce Mariā \* genuit nobis Salvatorem, quem Joānes videns exclamavit dicens : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccāta mundi.

**Capitulum.** Eccli. xxiv.

**E**GO quasi vitis fructificāvi suavitatem odoris, et flores mei fru-

ctus honoris et honestatis. Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.

**Hymnus.** O gloriōsa. **V.** Benedicta tu in mulieribus. **R.** Et benedictus fructus ventris tui.

**Ad Bened. Añæ.** Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc implētæ sunt Scripturæ : sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum : te laudamus, Deus noster.

**Oratio.**

**D**Eus, qui pro nobis ex intācto beātæ Mariæ Virginis útero Bethlehem nasci voluisti : tribue, quæsumus; ut ad percipiendum reparatiōnis nostræ fructum Genitricis tuæ méritis ac precibus adjuvémur. Qui visis et regnas.

**Commem. Dominicæ.**

**AD PRIMAM.**

In **R.** br. dicitur **V.** Qui natus es de Mariā Virgine.

**AD TERTIAM.**

**Capit.** Ego quasi. ut in Laudibus.

**R.** br. Spécie tua, \* Et pulchritudine tua. Spécie tua. **V.** Inténde, prospere

procède, et regna. Et. Glória Patri. Spécie.

**V.** Adjuvabit eam Deus vultu suo. **R.** Deus in médio ejus, non commovébitur.

**AD SEXTAM.**

**Capitulum.** Eccli. xxiv.

**T**Ransite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generatiōibus meis implēmini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiōes sæculorum.

**R.** br. Adjuvabit eam \* Deus vultu suo. Adjuvabit. **V.** Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvabit.

**V.** Elégit eam Deus, et præelégit eam. **R.** In tabernáculo suo habitare facit eam.

**AD NONAM.**

**Capitulum.** Eccli. xxiv.

**Q**UI audit me, non confundetur, et qui operantur in me, non peccabunt. Qui elúcidant me, vitam æternam habebunt.

**R.** br. Elégit eam Deus \* Et præelégit eam. Elégit. **V.** In tabernáculo suo habitare facit eam.

Et præelégit. Glória Patri. Elégit.

**V.** Diffusa est grátia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in æternum.

**IN II. VESPERIS.**

**Añæ, Psalmi, Capit. et Hymnus ut in j. Vesperis.**

**V.** Dignare me laudare te, Virgo sacrata. **R.** Da mihi virtutem contra hostes tuos.

**Ad Magnificat, Añæ.** Ave cleméntiæ Mater, consolátrix afflictórum, salus infirmórum. Tu glória Jerúsalem, tu lætitia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. O Mariā, Virgo prudentissima, ora pro nobis ad Dóminum.

**Commem. Dominicæ.**

**DIE XXX. JANUARIJ.**

**B. Sebastiani Valfré**

**Confessoris. Duplex.** Omnia de Comm. Conf non Pontif., præter sequentia.

**Oratio.**

**D**A nobis, quæsumus Dómine, ita pro animarum subsidio in tua dilectione manere, sicut beatum Sebastianum Confessorem tuum ad multorum salutem novum

tibi sacerdotem fidélem suscitásti. Per Dóminum.

*Inj. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In II. Nocturno.*

*Lectio iv.*

**S**ebastiánus Valfré in oppido Verdúno Albæ Pompéjæ diœcésis humilibus, sed piis paréntibus natus, a prima ætate haud dubia exhibuit futúre sanctitátis arguménta. Elúxit quippe in púero præclára quædam bonæ, ac religiôsæ mentis indoles quæ eum ad christíanam abstinentiam, ac páuperum misericórdiam mirífice attrahébat. In sortem Dómini vocátus, quum omnes, quæ sibi adversaréntur, difficultátes superásset, adhuc adoléscent Ecclesiæ ministériis sese addixit. Majóre mox desidério flagrans totum se Deo, et animárum salúti devovéndi, Congregatió-nem Oratórii Augústæ Taurinórum ingressus est: quam vix incéptam, et adhuc male firmam, stúdio ac diligéntia plane constituit. Ad sacerdotium deínde evéctus, sacrae theologiæ láuream promérui, et in collégium doctórum cooptátus est.

His adjuméntis instrúctus, et sancti Philippi Nérii præsertim vestigia premens, id unum toto vitæ cursu spectávit, ut omni ope unius promovéret Dei cultum, et in proximórum utilitátes totus incumberet. In nosocomíis, in gymnásiis, in sanctimonialium cœnóbiis, in statióibus militum, in carcéribus, in sóntium trirémibus, in officinis, in agris, in placáris et urbis viis, déniq; in ipsa regis aula singulórum juvándis ánimis sédulam ac perpétuam impéndit óperam.

*R. Honéstum.*

*Lectio v.*

**A**dmirábilis vero exstitit in púeris et plebe erudiénda christiánæ fidei præcéptis; quod onus sustinuit ad ætatem últimam tanta cum alacritáte, quasi tum primum sacerdotii stádium esset ingressus. Idem in Judæos præstitit atque hæréticos, quorum multos vel Christo adjúnxit, vel communióni restituit. Confessárii múnere assiduus, plúrimos a peccátis servitute solútos, ad libertátem filiórum Dei tradúxit; quocúmque genus

hóminum lenitáte, et cleméntia allíciens, atque ómnibus ómnia factus, ut omnes Christo lucrífaceret. In opitulándis, qui extrémó supplicio afficeréntur, miræ fuit a Deo efficiénciæ dono ornátus. Nec minus grátia enituit, ægrótos ac morti próximos noctu diúque invísens; cujus exímiam pietátem divína sæpe prodígia prosecúta sunt. Eódem juvándi próximos stúdio, puéllas, quarum pudicítia periclitaretur ob inópiam rei familiáris, in tuto pósuit. Pérditas féminas a quæstu córporis ad continéntiam convertit, eisq; ne egestáti prætéxtu íterum pro-laberéntur, vitæ subsidia comparávit. Déniq; in páuperes et omne miserórum genus ita fuit effúsus, ut prope porténti loco habeátur tantam pecúniæ vim potuisse corrogári, quantam ipse unus in iis sustentándis collocávit. Quæ sane admiránda viri cãritas non Augústæ Taurinórum septa limitibus se contí-nuit, sed ad singulas Gál-liæ Cisalpínæ, et Sabáudíæ provinciás pervásit; quo factum est, ut ómni-

bus his locis commúnis Paréntis nómine appellaretur. *R. Amávit.*

*Lectio vj.*

**I**n hac tam vária atque inténta apostólicæ vitæ sollicitú-dine, stú-dium orándi contem-plándique numquam intermísit: ita ut viderétur, tantis labóribus defatigátus, idéntidem in Dei recordatióne, et quasi ampléxu acquiescere. Sanctíssimam Salvatóris nostri Matrem tenérrimo amóris sensu venerabátur, eámque ut álii veneraréntur studiose curábat. Castitátem in omni vita prætulit singulárem, quam abstinentia, et córporis afflictatió-nibus sevère custodiébat. Supérnis quoque donis a Deo ditátus, multa, partim ábdita apéruit; partim longe a conspéctu remóta monstrávit; partim étiam multo post futúra prædixit. Talis cum esset, ita de se demísse humilitérque sentiébat, ut ex firma á-nimi persuasióne créderet, se mortálium ómnium ínfimum in Oratórii Congregatióne retinéri aliórum indulgéntia, et caritáte. Archiepiscopátum vero Taurinénssem magna áni-

mi contentiōne a rege sibi delatum rejecit, ejusque confessarii munus, quod invitus susceperat, abdicavit : quærebátque modis omnibus nihili se a quocúmque fieri, sæpe tarditatem ingenii præferens, et generis humilitatem plus nimio augendo, aut prope incalcando. Demum senio ac laboribus debilitatus, et Ecclesiæ sacramentis refectus, mortem, quam ante prædixerat, Augustæ Taurinorum obiit tertio Kalendas Februarii anno millésimo septingentesimo décimo, ætatis suæ annum agens primum supra octogésimum : quem Gregorius décimus sextus Pontifex maximus, virtutibus et miraculis conspicuum solémniter in Beatórum número ascripsit.

**R.** Iste homo.

In iij. Noct. Homilia. Sancti Evangelii, fratres. de Communi Conf. non Pont. j. loco.

DIE III. FEBRUARII.

S. Blasii

Episc. et Mart.

Patroni min. princip.

Mexicani.

Duplex majus.

Omnia de Comm. unius Mart. ordine sequenti.

Oratio. Deus, qui nos.

In j. Nocturno, Lectio- nes. A Miléto. de Comuni.

In ij. Nocturno, Lectio iv. Blásius. ut in Breviario. Lectio v. Triumphális. et vj. Coronata. de Comm.

In iij. Nocturno, Homil. in Evang. Si quis vult. de Comm. ij. loco.

¶ Angelopolietubicum- que concessum fuerit

Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris, præter sequentia.

Oratio ut supra; sed in j. Noct. Lect. de Script. occur.

In ij. Noct. Lect. ut in eod. Festo in fine Brev.

In iij. Noct. Homilia. Quia Dóminus ac Redemptor. de Comm. ij. loco.

DIE V. FEBRUARII.

S. Philippi a Jesu Patroni princ. ac Mart. Mexicani.

Duplex j. classis cum Octava, in civitate et dicec Mexicana.

In dicec. vero suffraganeis, duplex majus.

Omnia de Communi unius Martyris præter sequentia.

Oratio.

Deus qui inter primos Japoniæ Martyres beatum Philippum, cruci alligatum, triplicique lancea confossum, primum omnium martyrio coronasti : concede propitius; ut ejusdem nos suffulti patrocinio cum illo pariter coronemur in caelis. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

Salve, triumphális pugil,  
Decus novi orbis máximum,

Qui morte fecisti tua Beatiorem pátriam.

Athléta princeps Méxici,  
Trophæa celsa Martyrum,

Dignamque cœlolauream  
Tu primus infers pátriæ.

Quidquid juvénus fervida

Peccáverat licéntia,  
Libénter in mortem ruens

Sancta expiasti víctima.

Tui fac ut nos æmuli,

Dolóre cordis intimo,

Jugique pœniténtia

Nostra eluamus crimina.

Deo Patri sit glória,

Ejusque soli Filio,

Sancto que item Paráclito,

Per omne semper sæculum.

Amen.

In I. Nocturno.

De libro Tobías.

Lectio j.

Cap. x.



Lebat igitur mater ejus irremediabilibus lacrymis, atque dicebat : Heu, heu me, fili mi ! ut quid te misimus peregrinari, lumen oculórum nostrórum, báculum senectutis nostræ, solátium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ?

Omnia simul in te uno habentes, te non debui- mus dimittere a nobis. Cui dicebat Tobias : Tace, et noli turbári, sanus est filius noster : satis fidelis est vir ille, cum quo misimus eum. Illa autem nullo modo consolári poterat, sed quotidie exsilens circumspiciebat, et circumibat vias omnes per quas spes remeandi videbatur, ut procul vidéret eum, si fieri posset, venientem.

**R.** Iste sanctus.

Lectio ij.

Cap. xiiij.

Asperiens autem Tobias senior os suum, benedixit Dóminum, et dixit : Magnus es, Dómine, in ætérnum, et in ómnia sæcula regnum tuum : quóniam tu flagéllas, et salvas : dedúcis ad inferos, et redúcis : et non est qui effúgiat manum

tuam. Confitemini Dómino, filii Israel, et in conspectu gentium laudate eum : quóniam ideo dispersit, vos inter gentes quæ ignórant eum, ut vos enarrétis mirabilia ejus, et faciátis scire eos, quia non est álius Deus omnipotens præter eum. Ipse castigávit nos propter iniquitátes nostras, et ipse salvávit nos propter misericórdiam suam. Aspícite ergo quæ fecit nobiscum, et cum timóre et tremóre confitemini illi : regémque sæculórum exaltáte in opéribus vestris.

**R.** Justus.

**Lectio iij.**

**E**GO autem in terra captivitátis meæ confitebor illi : quóniam osténdit majestátem suam in gentem peccatricem. Convertimini itaque peccatóres, et fácite justítiam coram Deo, credentes quod fáciat vobiscum misericórdiam suam. Ego autem et ánima mea in eo lætábimur. Benedícite Dóminum omnes elécti ejus : ágite dies lætitiæ, et confitemini illi. Jerúsalem civitas Dei, castigávit te Dóminus in opéribus mánuum tuárum.

Confitère Dómino in bonis tuis, et benedic Deum sæculórum, ut reædificet in te tabernáculum suum, et révocet ad te omnes captivos, et gaudeas in ómnia sæcula sæculórum.

**R.** Iste cognóvit.

In II. Nocturno.

**Lectio iv.**

**P**Hilippus de las Casas, sive a Jesu, Méxici Hispanis paréntibus natus, ea adoléscentis vivébat libertáte ac licéntia, ut ipsismet paréntibus ideo prope esset exósus : quod ita illius púpugit ánimus, divína simul grátia illustrátum, ut Franciscánium institútum arripere statuerit. Sumpto tamen hábitu, nec satis gnarus quam árduum cum cállido hoste iniisset certámen, cessit illius illécebris, abiitque e Religióné. Ea inconstántia tantum dolórem paréntibus áttulit, ut, ne ipsórum perpétuo vulnéraret obtútum, in Chinam eum negotiatiónis ergo ablegárint. Aliquánto post témpore, cogitántem quam periculósam in libertáte, pátria procul, vitam ágeret, quæque in Religióné (Deo quoque

ad ea ruminánda impellente) vidisset ac reliquisset bona, novus ardor accéndit et hæc postliminio repeténda, et toto ánimo divíni Spíritus instinctibus obsequénda. Manílám ergo, nescio cujus negotii causa, profectus, eo absolúto, ambit denuo religiosum hábitum, et impetrat in coenóbio sanctæ Mariæ de Angelis patrum Minórum Excalceatórum : ubi egrégia approbatióne, peracto tyrocínio, solémnia demum vota professus est.

**R.** Honéstum.

**Lectio v.**

**H**Ujus mutatiónis perlato Méxicum nuntio, vehementer exhilarati paréntes, suprémum órdinis in India præsidem, quem commissárium generálem appellat (is tunc Méxici erat) obsecrant, filium sibi in seráphico illo hábitu vidére ut per eum liceat. Lubens piis paréntibus ea in re gratificátus commissarius, scripsit in Philippinas, ut confestim Méxicum Philippus mitterétur. Ea causa navem sancti Philippi tutelæ créditoam atque insignitam nómine conscéndit : quæ vi tem-

pestátis convúlta, et in Urándum Tuzzáni regni portum ejectione, ipse brevi portum æternæ beatitudinis láurea martyrii redimítus tenuit. Omen Philippo martyrii fuit, quod dum procéllis jactaretur in qua is erat sancti Philippi navis, ea parte cæli quæ Japonem respiciébat, vidit crucem candidam, figuram expressam simili earum in quas dein sublati mártires fuerent; post in sanguineum colórem mutasse itidem ad horæ quadrántem; demum nigra nube obvolútam. Omni respondit événtus. Nam sæviénte in Japonia adversus christiánæ fidei præcones persecutióne, beatus Philippus in vincula conjéctus, et cum aliis sociis fuit morte damnatus.

**R.** Desidérium.

**Lectio vj.**

**P**ERductus itaque cum cæteris in triumphálem campum, parátam sibi crucem pòsitis humigenibus amplexátus, in hæc prorupit verba : O fortunátam navem! O felicem sancti Philippi galéonem! O jactúram mihi minime damnósam, sed omni lucro quæstuosió-